



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 71. Fœderatorum molimina ad Venetos a Gallorum studiis avocandos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

rerum necessitate prælii discrimen cum Secul. XVI.
Gallis, Venetisque experiri cogeretur. A.C. 1523.

§. LXXI.

*Fœderatorum molimina ad Venetos a
Gallorum studiis avocandos.*

In his rerum angustiis nil opportunius accidebat, quam ut Veneti impedirentur, ne fœdus, cujus finiendi tempus, ad quod initum erat, prope adventabat, rursus cum Gallis innovarent. Nec huic consilio spes magna deerat; nunciatum enim erat Columnæ, Morentiacum a Senatu absque responso fuisse dimissum, postquam Veneti fuerant edocti, quod Lescunus Marescallus Cremonæ urbis deditioem fecisset, & Galli Mediolanensem arcem hosti tradidissent.

Nec tamen inde Franciscus Rex animo fractus, repentinam Hieronymi Adornii mortem in rem suam vertere meditabatur. Mortuus erat ille, dum pro Imperatore apud Venetos legatione fungeretur, paucis post Morentiaci discessum diebus apoplexia tactus: Igitur comperto ejus obitu Rex nulla mora Bajocensem Episcopum eo ablegabat, ut conditiones illis, quas antea rejecerant, magis amplas Venetis offerret.

§. LXXII.